



DISSERTATIO
IN QVA DISQVIRITVR: 1745 804
AN EX LEGIBVS SAXONICIS, FRVCTVS IN-
DVSTRIALES, MAXIMA LABORIS PARTE PER-
ACTA, SEMPER VSVFRVCTVARIO CEDANT?

QVAM
PRAESIDE
GOTTLIEB WERNSDORFFIO

PHILOS. ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE, INSTIT. IMPER. PROF.
PVBL. ORD., CVRIAE PROVINCIALIS, SCABINATVS ET FACVLTA-
TIS IVRIDICAE ASSESSORE, EIVSDEMQUE H. T. DECANO

DIE XIII. IVN. MDCCXCV.

H. L. C.

DEFENDET
AVCTOR ET RESPONDENS
CHRISTIANVS GOTTLLOB FRIDERICVS ZILLE
SCHWARZBACO - VARISCVS.

VITEBERGAE,
EXCVBIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.

DISSERTATIO

IN CLASSE

AN XLI. ANNO S. M. C. C. L. X. P. R. O. P. T. O. R. I. U. M.
P. R. O. P. T. O. R. I. U. M. P. A. R. T. I. U. M.
A. C. A. D. E. M. I. A. E. L. I. A. N. O. V. I. S. I. A. N. O. C. E. L. S. I. A. N. O.

DE

GOTTHEB WEINSDORFFIO

PHILOSOPHIAE DOCTORIS, REGII UNIVERSITATIS
ALMA MATERIS WITTEBERGENSIS, A. C. A. D. E. M. I. A. E. L. I. A. N. O. V. I. S. I. A. N. O. C. E. L. S. I. A. N. O.
P. R. O. P. T. O. R. I. U. M. P. A. R. T. I. U. M. A. C. A. D. E. M. I. A. E. L. I. A. N. O. V. I. S. I. A. N. O. C. E. L. S. I. A. N. O.

ANNO MDCCLXXV

WITTEBERGAE

IN

ALMA MATERE WITTEBERGENSIS

CHRISTIANVS GOTTFRIDVS FRIDERICVS ZILLIUS

PHILOSOPHIAE DOCTORIS, REGII UNIVERSITATIS
ALMA MATERIS WITTEBERGENSIS, A. C. A. D. E. M. I. A. E. L. I. A. N. O. V. I. S. I. A. N. O. C. E. L. S. I. A. N. O.

WITTEBERGAE



Cum diu multumque dubitarem, in quonam argumento ingenii vires exercerem, peropportune mihi relatum est, Iure Consultos Lipsienses Quaestionem illam, an ex legibus Sax. fructus industriales, maxima laboris parte peracta, usufructuario semper cedant, inter dubias iuris quaestiones Serenissimo Principi Electori Saxoniae proposuisse, huncque Dicasteriis Wittebergensibus iussisse, ut, quid de hac ipsa quaestione iis videretur, dispicerent. Haec me mouerunt, ut in hoc ipsum argumentum inquirerem, meamque sententiam de hac ipsa quaestione exponerem. Quae si doctioribus minus probabitur, illi cogitent, a iuvene rem susceptam esse, qui *licet non tenuit, magnis tamen excidit ausis,* et qui ingenii exercendi causa haec ipsa scripsit.

Antequam autem quaestionem ipsam tangam, pauca, de usufructu in genere, et de praecipuo eius iure, omnes sc. ex re aliena fructus percipiendi, et de fructuum significatione et distributione, quae ad illustrationem quaestionis propositae pertinent, praemittere mihi liceat.

§. I.

Est autem usufructus, desinente PAVLLO in *L. I. D. de Vsufr.* „*ius alienis rebus utendi fruendi, salva rerum substantia*“ siue ius, quod nobis in re aliena competit, ut omnia emolumen-



lumenta ordinaria, et ad necessitatem, et ad commoditatem, ex ea percipere possimus. Hoc ius pluribus modis constitui constat *L. 6. D. eod.* Constituitur enim ususfructus, vel a lege, vel a homine, iudice scilicet, vel domino proprietatis. A lege conceditur patri, in bonis filiorum aduentitiis, *§. 1. I. per quas personas cuique et L. 6. C. de Bonis, qui lib.*, nec non in bonis emancipatorum in dimidia parte bonorum aduentitiorum, in praemium emancipationis expressae. *§. 2. I. d. Tit. et L. 6. §. 3. C. de Bonis, quae lib.*, coniugi superstiti, si inopia laboret, defunctus autem opulentior fuerit, si liberi haereditatem fortiantur, in quarta parte haereditatis, vel virili portione. *Novell. CXVII. c. 5. et Auth. Praeterea C. Unde vir et vxor*, vel etiam coniugi ad secunda vota transeunti, in bonis a liberalitate defuncti acceptis, quorum proprietas in poenam secundarum nuptiarum ad liberos transit. *L. 3. et 5. C. de sec. Nupt.*, vel in bonis, quae ad hunc ipsum coniugem, ex haereditate vnus alteriusue filii ab intestato decedentis, perueniunt. *Auth. Ex testamento C. eod.*, quamuis haec ipsa secundarum nuptiarum poena, hodie in Germania vix locum habeat, v. HEINECCII *Diff. de Usufructu materno §. 13.* porro si mores Germanorum spectaueris, vtrique parenti, in bonis liberorum, qui adhuc in parentum potestate sunt. *ENGAV Elem. iur. Germ. L. I. §. 246.*, denique secundum mores Saxonum, marito in bonis vxorum paraphernalibus. Leges enim marito legitimam vxoris tutelam tribuunt, *Ius Prov. Sax. L. I. Art. 31. Lib. III. Art. 45.* Omnis autem tutela legitima olim cum usufructu coniuncta erat, indeque marito etiam ususfructus in bonis vxoris competebat, et hodie etiam ex iure Saxonico competit. v. HEINECCII *Elem. iur. Germ. L. II. §. 297.* A iudice rarius usufructus constituitur, fieri tamen id posse docet *CAIVS in L. 6.*

L. 6. §. 1. D. de Vusufr. „et in iudicio familiae herciscundae et in „communi diuidendo, si iudex alii proprietatem adiudicauerit, alii vsumfructum.“ Nam si res ipsa diuisionem commode non recipiat, officio iudicis talis adiudicatio fieri potest, vt alteri fundum, alteri vsumfructum adiudicet. L. 6. §. 10. D. Communi diuid. Dominus autem saepius alteri ius vsumfructus concedit, vel expresse, siue per modum conventionis, pacti et stipulationis, siue per modum vltimae voluntatis. §. 4. I. de Seruit. L. 3. D. de Vusufr. L. 4. C. eod. vel tacite, si alterum re sua vti frui patiatur, per tempus lege definitum. L. 10. D. Si seruit. vindic., quamuis haec ipsa, quae per praescriptionem constituitur seruitus, a lege constituta esse videatur, cum rata auctoritas huius seruitutis a iure ciuili sumatur. CICERO pro Caecin. c. 26. At si dominus ipse alicui vsumfructum concesserit, semper ad eam legem, quam dixit, respiciendum est, ex qua diiudicari debet, vtrum pure, an sub conditione, vtrum in diem certum, an ad dies vitae vsumfructus concessus sit.

§. 2.

Ex ipsa, quam dedimus, vsumfructus definitione apparet, ius vsumfructuarii in eo consistere, vt fructus ex re aliena percipere possit, inde non inutile erit, vt, quae fructuum nomine veniant, et quae sit eorum diuisio, dispiciamus, praesertim cum haec ipsa fructuum partitio, ad materiam, quam tractamus, sit necessaria. Vox autem fructuum varie accipitur. In sensu enim strictissimo sumitur pro fructibus arborum, qui ex iis nascuntur, quare glandis appellatione omnem fructum contineri, IAVOLENVS ait, in L. 236. §. 1. D. de Verb. sign., in sensu latiori denotat omne id, quod ex ipsa re nascitur, atque renasci potest. L. 7. §. 13. D. Solut. matr. L. 121.

D. de Verb. Sign., et tandem in latissimo sensu accipitur, pro omni prouentu et utilitate, quae ex ipsa re, vel eius occasione percipitur. *L. 24. D. de Vsu et Vusufr. leg. L. 95. §. 1. D. ad Leg. Iuliam.* Hoc latissimo sensu vocabulum fructuum accipi debet, si quis dicat, usufructuarium ius, omnes fructus percipiendi, habere. Non solum enim quidquid in fundo nascitur, sed et quidquid inde percipitur, ad fructuarium pertinet. *L. 59. §. 1. D. de Vusufr.* Inde fructus in ciuiles et naturales distinguimus. Ciuiles eos dicimus, qui non ex ipsa re proueniunt, sed intuitu eius saltim percipiuntur, ut sunt salaria, pensiones, aliaque eiusmodi emolumenta, quae in iure consistunt: naturales autem, qui ex ipsa re, in qua usufructus competit, oriuntur et nascuntur, ideoque ipsius naturae beneficio debentur. Hi, cum vel hominum curam et industriam requirant, vel vltro proueniant, duplicis iterum generis esse videntur, sc. naturales tantum, quos natura sponte producit, vel nulla accedente, vel modica hominis cura, ut sunt pomum, foetum, lac, lana, eiusdemque generis alia; vel industriales, quae, nisi hominum industria accedat et cultura, non nascuntur. *L. 45. D. de Vsuris et Fruct. L. 48. pr. D. d. Acquir. rer. domin.* Naturales autem in genere, sub quo nomine et naturales tantum, et industriales intelligimus, sunt vel pendentes, qui cum re ipsa, ex qua nati sunt, adhuc cohaerent, et pars eius esse videntur. *L. 44. D. de Rei. vind.* vel percepti, qui a re ipsa, cuius partes olim fuere, iam separati sunt, ideoque ad eandem rem amplius pertinere non videntur, sed proprio quodam iure gaudent. Nam quamuis plures, Doctores afferant fructuum diuisiones, earum tamen recensui facile superfedere possumus, cum hae diuisiones ad argumentum nostrum neutquam pertineant.

Cum autem ad usufructuarium omnes rei fructus pertineant, *L. 7. D. de Usufr.* et quidquid in fundo nascatur, ipsius fructus sit *L. 9. pr. eod.* ita, vt et sylua caedua, etiamsi intempestiue caesa sit, et olea immatura lecta, item foenum immaturum caesum, ad usufructuarium pertineat *L. 48. D. eod.* denique usufructuarius per id tempus, quo ei usufructus competit, intuitu fructuum, quae ipsius rei accessiones sunt, domini vicem teneat, ex altera parte autem fructus extantes, siue quos nondum a fundo separauit, ipsius fundi partes esse videantur *L. 44. D. de Rei vind.* et ob hanc ipsam causam, finito usufructu, ad dominum fundi, ex quo nati sunt, pertineant, ad quem, finito usufructu, ius fructuum percipiendorum redit; Quirites hanc inuenerunt regulam: usufructuarium percipiendo demum fructus suos facere, neque eum prius fructuum dominium acquirere, nisi eos perceperit, ideoque, licet maturis fructibus, nondum tamen perceptis, usufructuarius decesserit, ad haeredes eius fructus non pertinere, sed domino proprietatis adquiri. Hanc enim *§. 36. I. de Rer. Diu. L. 12. §. 5. D. de Usufr.* et *L. 25. D. de Vfuris*, proponi videmus. Indeque „si fructuarius messem fecit et decessit, stipulam, quae in messe iacet, haeredis esse, LABEO ait, spicam, quae terra teneatur, domini fundi esse, fructumque percipi, spica aut foeno caeso, aut vna ademta, aut excusso oleo, quamuis nondum tritum frumentum, aut oleum factum, vel vindemia coacta sit“ in *L. 13. D. Quibus mod. ususfr.* et CAIVS in *L. 8. D. de annuis legat.* „cum fructuarius, etiamsi maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decessit, haeredi suo eos fructus non relinquet“ et SCAEVOLA in *L. 58. pr. D. eod.* „Defuncta fructuaria mense Decembri, iam omnibus fructibus, qui in his agris nascuntur,

„tur, mense Octobri per Colonos sublatis, quaesitum est, utrum
 „pensio haeredi fructuariae solui deberet: quamvis fructuaria
 „ante Kalendas Martias, quibus pensiones inferri debeant, de-
 „cesserit, an diuidi debeat inter haereditatem fructuariae, et Rempu-
 „blicam, cui proprietates legatae sunt? Respondi, Rempublicam qui-
 „dem cum colono nullam actionem habere: fructuariae vero haere-
 „dem sua die, secundum ea, quae proponerentur, integram pen-
 „sionem percepturum.“ Ex quibus iuris nostri locis satis clare appa-
 ret, secundum iuris Romani principia, usufructuario fructus non ce-
 dere, nisi perceptos, id est, a fundo separatos, extantes autem, et
 ipsi rei, ex qua nati sunt, adhuc cohaerentes, finito usufructu, do-
 mino proprietatis acquiri, neque ius Romanum inter fructus natu-
 rales tantum et industriales distinguere. Nam et spicam et foenum,
 si terra teneatur domini fundi esse, LABEO respondit in *L. 13. D. Qui-
 bus mod. ususfr.* Spica autem, cum sationem requirat, ad fructuum
 industrialium genus pertinet, foenum vero, cum id vltro proueniat,
 sine hominis cura et industria, ad fructus naturales tantum refertur.
 Denique ex legibus Romanis bonae fidei possessori, qui domini lo-
 cum tenet, fructus quidem cedunt pro cultura et cura *§. 35. I. de
 Res. diu.* sed a solo separati tantum, non etiam extantes. *L. 45. §.
 i. D. de V. juris et fruct. L. 48. pr. D. de Acquir. rer. dom.*

§. 4.

At ius Saxonicum non eandem regulam semper sequitur, sed
 naturales fructus, qui sine vlla hominis cura ex ipsa re nascuntur, ab
 iis secernit, ad quorum prouentum cura opus est et industria, et
 qui ob hanc ipsam causam industriales vocantur. Iubet enim, ut
 fructus industriales, licet nondum a fundo separati sint, ei cedant
 qui

qui bona fide fundum possedit, coluitque, si maximam laboris partem peregerit, ita, ut eius industriae fructus, qui extant, potissimum debeantur, ut docent verba IURIS PROVINCIALIS SAXONICI Lib. II. Art. 58. „Des Mannes Saat, die er mit seinem Pfluge arbeitet, ist verdienet, wenn die Egge darüber gehet, und von dem Garten, wenn er bestellt und geharket wird.“ et Libr. III. Art. 79. „Stirbt aber die Frau nach der Saat, da die Egge das Land überstrichen hat, so ist die Saat ihres Mannes.“ Ratione fructuum autem, qui naturales tantum dicuntur, et ratione eorum, qui non ex ipsa re, sed intuitu eius percipiuntur, eadem principia servat, quae Romanis placuerunt. Nam fructus, finito usufructu adhuc pendentes, domino proprietatis addicit, his verbis I. P. S. Lib. II. Art. 58. „Er (Dominus feudi scilicet directus, cui Vasallo impubere fructus feudi cedunt) „darff auch nicht nach der Zeit, da das Kind zu seinen Jahren kommen, desselben Holz oder Grass hauben lassen“ et fructus civiles, ei, qui fundum possedit eo tempore, quo dies solutionis cessit. Hoc enim testantur verba I. P. S. Lib. II. Art. 58. „Ob ein Mann keinen Lehns-Erben hätte, nach seinem Tode, so soll der, so sein Erbe nach Land-Recht ist, dessen verdiente Einkünfte in dem Lehne nehmen. Nun vernehme, wenn sie verdient sind. — Zins von Mühlen, Zöllen, Münze und Wein-Gärten ist verdient, wenn der Zins-Tag kömmt, der zur Zahlung angesetzt ist. Wo ferne ein Kind seine Iahrszahl vor den Zins-Tagen, da die Einkünfte verdienet sind, erreicht, so soll es den Zins erheben. Kömmt es aber nach den rechten Zins-Tagen zu seinen Jahren, so hat es das aus dem Guthe gefällige Geld verlohren“ et in Iur. Prov. Sax. L. II. Art. 79. „Was auch vor Zins oder Pflege in der Frauen Guthe ist, so man ihr bezahlen sollte, ist sie nach den rechten Zins-Tagen

B

„gefior-



„gestorben, so ist das Guth des Mannes verdientes Guth, wie es
 „des Erben seyn sollte, wenn sie ohne Mann wäre.“ Et hanc
 veterem iuris Saxonici regulam confirmat CONSTIT. ELECT. XXXII.
 P. III. in qua haec inueniuntur: „Nach Sächsischen Lehnrechten
 „aber, was die Egde bestrichen hat und unterbracht ist, bey Le-
 „ben des Verstorbenen, solches, weil es des Verstorbenen erwor-
 „ben Guth, auch bey seinem Leben beschicket worden, folget und
 „bleibet dem Erben, und nicht den Lehnsfolgern, welches auch
 „statt hat, da gleich die Lehngüther der Frauen zum Leibgedin-
 „ge vermacht. Also auch, da ein Garten bey des Verstorbenen
 „Leben gerodet, besäet, geharket, folgen die Gartenfrüchte den
 „Erben: Gleichesfalls, da ein Weib liegende Gründe hat, und
 „verstirbt nach der Saatzeit, so behält der Mann die Früchte. —
 „Was aber keine Feldfrüchte, sondern gewisse Zehend, Pächte
 „und Einkommen auf und aus den Lehngütern seyn, wenn die
 „zur Zeit des verstorbenen Lehnmannes betagt gewesen, so fol-
 „gen sie den Erben. Dasjenige, so an Zinsen oder Korn-Päch-
 „ten, innerhalb dem dreysßigsten fällig, gehöret auch den Erben.
 „Die Früchte aber, so naturales genannt werden, als Wiese-
 „wachs, allerley Obst, und dergleichen, bleiben den Lehnsfolgern
 „und Grundherrn, und nicht den Erben.“ Quamuis autem haec,
 quae excitauius, Iuris Saxonici loca, non in specie de usufructua-
 rio agant, sed de iis, quibus dominium vile, quod Vasallus in feu-
 do habet, vel ciuile, quod maritus in dote exercet, ius fructus per-
 cipiendi tribuit, neque negari possit, dominum vilem et ciuilem
 plus iuris in re, quo utitur fruiturque, habere, quam usufructua-
 rium, cum illi re sua utantur, non prorsus aliena, et fructus ex-
 traordinarios etiam acquirant, quae ad usufructuarium non pertinent:
 nihilo fecius tamen haec ipsa legum dispositio ad usufructuarium
 recte

recte transfertur, cum dominium vtile parum ab usufructu differat, indeque saepius usufructus nomine apud Germanos veniat. II. Feud. XXIII. BEYER in *Spec. iur. Germ. Lib. II. c. X.* praeterea ipse etiam dominus vtilis fructus ex re percipiat, quae ad alium etiam quodammodo pertinere videtur, denique ratio, propter quam iura Saxonica domino vtili, vasallo atque marito, fructus, qui eius industriae potissimum debentur, addicit, generalis sit, et in eo consistat, quod eiusmodi fructus industriales pro acceptis et quaesitis habeantur, si ex fundo proueniant, quem quis, dum eundem bona fide possideret, conseruit, rastrisque subegit, et hoc ipsum ius in dirimenda quaestione, cui fructus industriales cedere debeant? non id respiciat, quis eos perceperit, et a fundo separauerit, sed quis fundum coluerit, suaque industria effecerit, ut fructus ex eo nati percipi possint. His enim verbis utitur REPGOVIVS in *Iur. Prov. Sax. L. II. Art. 58.* „Des Mannes Saat, die er mit seinem Pfluge „arbeitet, ist verdient, wenn die Egge darüber gehet, und von „dem Garten, wenn er bestellt und geharket wird“ et Elector Saxoniae AVGVSTVS in *Const. Elect. XXXII. P. III.* „Was die „Egde bestrichen hat, und unterbracht ist, bey Leben des Ver- „storbenen, solches, weil es des Verstorbenen erworben Guth, „auch bey seinem Leben beschicket worden, folget und bleibet „den Erben.“

§. 5.

Cum igitur Ius Saxonicum, si de fructibus industrialibus quaeratur, non ad eorum perceptionem, sed culturam respiciat, et ei, qui agrum coluit, maxima laboris parte peracta, fructus industriales, ut praemium et mercedem laboris tribuat, omnes fere Iuris Saxonici Doctores, hanc regulam et in usufructu locum habere, cen-

sent, et vnanimi consensu docent, vsufructuarium, qui agrum conseuerit, seminatumque cooperuerit, fructus industriales lucrari, eosque, etiam nondum extantes, ad suos haeredes transmittere. v. SCHNEI-DEWIN. in *Comment. ad Inst. Tit. de Rer. Diuis. p. 179.* ZOBEL in *Different. Iur. civ. et Sax. P. III. Diff. 27. et 28.* BERLICH. in *Concl. P. III. Concl. XLIII. n. 55.* CARPZOVIVS in *Def. for. P. III. Const. XXXII. Def. 5.* STRYCK in *Vsu mod. Pand. Lib. VIII. Tit. IV. §. 7.* et BERGER in *Oec. Iur. Lib. II. Tit. III. Thef. XXIV. n. 4.* Idque optimo iure facere videntur. Nam quamuis IVS PROV. SAX. *Lib. II. Art. 58.* et CONST. ELECT. *XXXII. P. III.* de fructibus tantum in fundo feudali pendentibus loquantur, eadem tamen legis dispositio, propter generalem rationem, quod fructus industriales, maxima laboris parte peracta, pro perceptis, quaesitisque habeantur, etiam ad fructus bonorum allodialium pertinet, in quibus Ius Sax. eandem regulam seruat. IUR. PROV. SAX. *Lib. III. Art. 79.* et *Const. Ele. XXXII. P. III.* his verbis „*Gleichergestalt, da ein Weib liegende Gründe hat, und verstorbt nach der Saat, zeit, so behält der Mann die Früchte,*“ nec vlla commoda ratio reddi potest, cur in dirimenda quaestione, cui fructus industriales ex fundo fructuario cedant? ab hoc ipso iuris Saxonici principio, fructus industriales, maxima laboris parte peracta, pro perceptis haberi, recedendum sit, cum leges nostrae illud tunc etiam sequantur, si soluto matrimonio de dote reddenda agatur, fructusque agri dotalis industriales marito addicant, si is eundem conseuerit, seminatumque raris subegerit, IUR. PROV. SAX. *Lib. III. Art. 79.* et CONST. EL. *XXXII. P. III.* licet in hoc ipso casu leges Romanae aliam diuidendorum fructuum rationem ineant, et vltimi anni fructus inter virum et uxorem eiusue haeredes ita diuidant, vt pro rata eius temporis, quo matrimonium durauit, marito cedant, reliqui vero

vero vxori eiusue haeredibus vna cum fundo reddantur. *L. 5. 6. et 7. D. Solutio matrim.*

§. 6.

Regulam quidem, quam proposuimus, ex iure Saxonico scilicet fructus industriales ei cedere, cuius industria quaesiti sunt, et qui maximum in iis excolendis laborem peregit, euertere videtur *Consl. Elect. XIII. P. III.* quae iubet, vt fructus etiam industriales, legatario vna cum fundo legato addicantur, cum ex hac ipsa, quam tradidimus, regula, haeredibus eius cedere deberent, qui agrum conseruit, rarisque subegit, „*omnis autem regula*“ PAVLLO obseruante in *L. I. D. de reg. iur.* „*cum in aliquo vitiata est, officium suum perdat.*“ At salua res est. Fructus enim industriales tunc demum ex iure Saxonico cedunt ei, qui maximam laboris partem peregit, si is ipse non plenum fundi dominium habuerit, neque specialiter cum eo, ex cuius re fructus percepit, contraxerit; igitur ei, qui ius fructus percipiendi habuit, fructus tamen, finito eius iure, percipere non potuit, licet eius potissimum industriae debeantur, ne scilicet laboris praemio et mercede careat. *Consult. Saxon. T. II. P. II. Qu. 6.* Quae ratio, cum in testatore, qui fundum alteri legauit, non adit, isque fructus iure dominii perceperit, eosque iure suo, si fructus pendentes ad legatarium transire noluisse, a legato eximere, legatarioque fundum, ademptis fructibus, legare potuisset, denique, cum id ipsum non fecerit, fundum vna cum fructibus legasse videatur: lex nostra tacitam testatoris voluntatem sequitur, et fructus pendentes cum fundo simul ad legatarium pertinere iubet.

§. 7.

Nec eandem ob causam regula, quam proposuimus, ex eo vitiatur, quod in aliis saepius negotiis, in quibus ius possessoris ite-

rum soluitur, si v. c. pignus luatur, quod sub pacto antichretico creditor hactenus tenuit, vel fundus redimatur, qui sub pacto de retro- uendendo emtus est, vel in re immobili ius retractus ex iure consan- guinitatis, congrui, vel alia causa exerceatur, fructus vltimi anni, pro rata temporis, quo quisque fundum vel possedit, vel in posterum pos- sidebit, diuiduntur, quod fieri docent KÖPPEN in *Decis. Quaest. 30.* BERLICHIVS in *Concl. P. III. Concl. XLIII.* et CARPZOVIVS in *Def. for. P. III. Const. XXXII. Def. 1.* Creditor enim cum debitore suo specialiter contraxit, et ob hanc ipsam causam legem contractus sequi debet, quae plerumque eidem fructus annuos pro annuo vsu pecuniae concedit, fundi autem possessor, qui eundem alteri ex pacto de retrouendendo reddere, vel ex iure retractus accepto pretio, restituere debet, neutiquam ex re aliena fructus percepit, sed sua, quae dominij iure hactenus apud eum fuit.

§. 8.

Tandem illud remouendum est dubium, ane ius Saxonicum, quod fructus industriales ei addicit, qui maximam laboris partem in fundo peregit, cuius vsusfructus ad eum pertinet, in solo successio- nis casu locum habeat? Leges quidem Saxonicae, quae hoc princi- pium tradunt, huius solius casus mentionem faciunt, et haeredibus vasalli tantum, qui, morte impeditus, fructus percipere non potuit, quorum semina terrae mandauit, et in quibus producendis maximam laboris partem peregit, nec non marito, mulieris haeredi, cuius morte vsusfructus finitur, fructus industriales in fundo feudali siue dotali natos addicunt. At cum ius Saxonicum in his ipsis casibus fructus industriales haeredibus fructuarii propterea cedere iubeat, quod eosdem, maxima laboris parte peracta, agroque seminato at- que occato, pro perceptis et iam quaesitis habeat, IUR. PROV. SAX.

Lib,

Lib. II. Art. 58. verbis „so soll der, so sein Erbe nach Landrecht
 „ist, dessen verdiente Einkünfte in dem Lehn nehmen, et
 CONST. ELECT. XXXII. P. III. „weil es des Verstorbenen er-
 „worben Guth“ neque haeredes plus iuris in rem, quam iure hae-
 reditario accipiunt, habeant, quam ipse defunctus habuit, in cuius
 locum succedunt *L. 120. D. de Reg. Iur.*: analogiae iuris conuenire
 videtur, vt statuamus, ipsam iuris Saxonici regulam, non ad solum
 successionis casum restringendam, sed ad omnes casus transferendam
 esse, in quo finito usufructu, cuius fructus industriales cedant
 quaeratur, ideoque finito quouis modo usufructu, fructus industria-
 les usufructuario eiusue haeredibus, dummodo, nondum finito usu-
 fructu, maxima laboris pars peracta fuerit, addicendos esse. STRYK
 in *Vsu mod. Pand. Lib. VIII. Tit. IV. §. 7.* et hanc ipsam ob cau-
 sam patrem etiam fructus industriales lucrari ex fundis, qui ad filios
 filiasue pertinent, dummodo durante patria potestate maxima laboris
 pars peracta sit, licet filius filiae paullo ante id tempus, quo fructus
 colliguntur, ex patria potestate exierit, fructusque adhuc eo tempo-
 re, quo cum patria potestate usufructus patris finitur, pendeant.

§. 9.

Cum autem nulla vnquam regula adeo firma sit, vt non in
 vna alteraue re officium suum perdat, ea etiam, quam nos supra tra-
 didimus, regula, quasdam admittit exceptiones, quarum prima haec
 est, si ipse usufructuarius culpa sua effecerit, vt usufructus eidem
 adimatur, altera autem, si eo tempore, quo uti frui fundo coepit,
 ager iam feminatus, rastroque subactus fuerit. In vtroque enim ca-
 su, finito usufructu, fructus pendentes vna cum fundo ipso, cuius
 partes esse videntur *L. 44. D. de Rei Vind.* domino proprietatis ce-
 dunt. Quoties enim alicui poenae loco usufructus adimatur, ipsa
 poenae

poenae notio suadet, ne usufructuarius vllum amplius ex re, qua haecenus vsus est, commodum habeat. Inde matrimonio per diuortium soluto, cui mariti adulterium causam dedit, maritum fructus industriales in agro dotali adhuc pendentes sibi vindicare posse, negamus, licet ipse eundem durante adhuc matrimonio conseruerit et cooperuerit. Damnum enim, quod sentit, cum id sua culpa patiat, non sentire videtur *L. 203. D. de Reg. Iur.* nec ex suo maleficio commodum nancisci potest. Alterius autem exceptionis, cuius mentionem faciunt et CARPZOVIVS in *Def. for. P. III. Const. XXXII. Def. 15.* et HOMMELIVS in *Rhaph. Obs. CLXXXVI.* ratio in eo posita est, quod usufructuarius rem, quam vtendam fruendam accepit, finito usufructu, in eodem statu proprietatis domino reddere debeat, qui fuit coepti usufructus tempore *L. 62. §. 1. D. de Vsufr.* indeque is, qui agrum seminibus plenum rastrisque subactum accepit, eundem in eodem statu restituere debeat, praesertim cum haec ipsa semina pars fundi, quo vsus est, esse videantur. BERGER in *Suppl. ad Elea. Discept. for. P. II. ad Tit. XLII. p. 907.*

§. 10.

Ex his autem omnibus, quae pro virium nostrarum modulo haecenus disputauimus, sequi videtur, ex iure Saxonico usufructuario fructus industriales, maxima laboris parte peracta, semper cedere, nisi conuentio, per quam quis ius vtendi fruendi re aliena accepit, vel ipsa usufructus natura, quae, vt usufructuarius idem reddat, quod eidem vtendum fruendum traditum est, requirit, id ipsum impediatur, vel denique quis sua culpa, et in poenam delicti commissi, iure usufructus excidat.

ULB Halle

001 558 609


3



TA=OL







B.I.G.

Farbkarte #13

35

1745804

DISSERTATIO

IN QVA DISQVIRITVR:

AN EX LEGIBVS SAXONICIS, FRVCTVS IN-
DVSTRIALES, MAXIMA LABORIS PARTE PER-
ACTA, SEMPER VSVFRVCTVARIO CEDANT?

QVAM

PRAESIDE

GOTTLIEB WERNSDORFFIO

PHILOS. ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE, INSTIT. IMPER. PROF.
PVBL. ORD., CVRIAE PROVINCIALIS, SCABINATVS ET FACVLTA-
TIS IVRIDICAE ASSESSORE, EIVSDEMQUE H. T. DECANO

DIE XIII. IVN. MDCCXCV.

H. L. C.

DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTIANVS GOTTLLOB FRIDERICVS ZILLE

SCHWARZBACO - VARISCVS.

VITEBERGAE,

EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.